

enigmata q̄l̄ in hac t̄ta in d̄m.

par. s̄ n̄o pot̄at p̄l̄c̄ in m̄ ū



Freiherr v. Ende-Miljeswitz.



XXX.

DISPUTATIO IURIDICA

De

TESTAMENTA-
RIA HEREDITATE CER-
TIS QVIBVSDAM QVAESTIO-
NIBUS EXPLICATA:

Quam

C. D. & A. C.

*Permissu & autoritate Nobiliss. atq. Ampliss.
Facultatis Iuridicae in inclytâ Ienen-
sium Academia,*

SUB PRAESIDIO

Clarissimi & Doctissimi Viri

DN. IACOBI CRAMERI

I. V. CANDID.

Ventilandam proponit

IOHANNES MULLER
CIZENSIS.

Ad diem 19. Augusti: hora & loco consuetis.

J E N A

Ex Calcographéo Tobiaë Steinmanni,
Anno c1o 1o c111.

.xxx

TESTAMENTA
SACRA
ET
SACRIFICIA

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT

In
re
e
D
q
lu
H
m
ab
ti
pl
pu
C
ri
re
ve
ad
di
Fe
S.
&
ru





Quæstio. I.

Nde dicta est hereditas?



Hac de re varii variè sentiunt. Nonnulli enim putant heredem dictum esse ab **HÆREO**, quasi hærens, quia hæres iuri universo defuncti, & actionibus hæret, ut loquitur Ulpianus in l. 13. D. ad Trebell: aut quia Ius il-

lud adedò inhæreat, ut nunquam ossa acquirentis deserat §. restituta de fideicom: hered: Hottom: in §. fin: en: 3. de hered: qual: & diffe: Goëdd. ad l. 24. n. 3. D. de V. S. Quidam ab **HERA** deducunt heredem, quod terram significat. Hinc heredium Varroni agellus est, qui heredem sequebatur. Alij hereditatem ab **HERCISCO**, quod divido significat, descendere existimarunt. Isidorus ab **AERE** l: 9. Etymol: c. 5. Alij deniq; ab **HERO**; quæ sententia nobis potissima videtur. Rationes sunt. **I.** Quia hereditatis vocabulum per simplex **E** scribitur, & ita perpetuò in *ms* Florentinis scriptum esse, annotat Petr. Victor. in castigationibus ad Cic. quemadmodum etiam ita in vulgaribus exemplaribus scriptum reperitur. **II.** Quia heres à quo hereditas, ab hero, id est, domino, appellatur, siquidem veteres pro dominis heredes accipiebant, etiam vivis adhuc parentibus, §. 2. & fin. Inst. de hered. qual. & differ. l. item Mela scribit, §. legis autem, ff. ad l. Aquil. Fest lib. 8. V. Ves. ad rubr. Instit. de hered. instit. n. 1. & §. 3. n. 5. de hered. qual. & differ. Cuiac. lib. 5. obs. c. 10. & Borch. in tract. de gradib. pag: 142. & 143. & in rubr. inst. de hered. quæ ab intest. def.

A

Quæ-

Quæstio II.

Vtrum hereditas sit ipsa pecunia seu res hereditaria, an verò ius seu titulus, ob quem quis succedere alicui potest?

Hereditas in l. nihil aliud. 24. ff. de V. S. & l. hereditas 62. ff. de R. D. definitur successio in universum ius, quod defunctus habuit, ubi per successionem intelligimus non ipsam pecuniam, vel rem hereditariam, ut Cic. in Topic. & Senec. lib. 6. de benefic. c. 5. quos sequitur Alc. in d. l. 24. nec ius, quod interim succedit in locum defuncti, donec adeatur, ut Bart. las. Castr. & communis Dd. schola ad rubr. de acquir. hered. sed causam acquirendi dominij, quæ etiam post aditionem hereditatis durat, ut rectè sentit Gœdd. ad d. l. 24. n. 3. & Dn. Hoffm. p. m. in d. l. 62. Quorum sententia firmissimis nititur hisce fundamentis: *I.* Quia hereditas refertur inter modos acquirendi dominij, §. fin. inst. per quas person. cuique acquir. hi autem modi longè differunt ab ipsis rebus acquirendis. *II.* Quia hereditas demonstrat universitatem quandam, ac jus successionis, non res singulas, l. bonorum. 208. de V. S. & iuris nomen est, l. 3. §. hereditatis ff. de bon. poss. l. hereditatis. l. 19. de V. S. & in iure consistit, ut est in tit. inst. de reb. corp. & incorpor. & sine ullo corpore iuris intellectum habet l. hereditas de petit. her. quia sunt plerunque hereditates sine corpore, ut quæ consistunt in iuribus. Cuiac. ad d. l. 62. *III.* Quia definitur successio in d. l. 24. & d. l. 62. quæ est dictio *Verbalis*. Dictio autem verbalis apud Iurisconsultos non rem ipsam, ut apud Grammaticos, sed iura demonstrare solet, ut patet ex voce possessionis, usucapionis, obligationis, stipulationis, & actionis; quæ omnes sunt dictiones verbales, & tamen non rem ipsam, sed ius de rebus constitutum significant, ut patet ex l. 3. de bon. poss. l. hereditatis appellatio de V. S. l. 3. de usucap. tit. inst. de reb. corpor. & §. 1. Inst. de act.

act. Borch. in tract. de grad. sub rubr. unde hered. pag.
142. *IV.* Quia res ipsa dividi possunt. tot tit. si pars
hered. pet. Sed hereditas, cum quiddam incorporale
sit, d. tit. de reb. corpor. dividi non potest, nec unquam
pro diviso iure possideri potest, l. Pomponius, §. fin. ff.
de V. S. V. Vel. in *pro*. n. 6. de petit. hered. *V.* Quia
hereditas, & bonorum possessio comparantur in l. 3. ff.
de bon. poss. At bonorum possessio, ius successionis
est, l. bonorum appellatio. ff. de V. S. & iuris nomen,
l. hereditatis appellatio. ff. de V. S. Unde etiam ius
persequendi & retinendi patrimonij definitur, d. l. 3.
Ergo & hereditas ius erit. Denique, Quia res in he-
reditate existentes, desinunt esse defuncti per aditio-
nem, nec amplius eius personam representant, l. 55.
§. 1. de leg. 2. l. pecunia, §. 1. l. 119. de V. S. hereditas
autem ipsa manet etiam post aditas hereditarias res,
& continuatur in heredem l. fin. C. de hered. inst. Un-
de etiam ex illa ipsa causa, illas post aditionem vindi-
care, aut petere possumus. l. 23. ff. de R. V. l. 7. C. de pet.
hered. Gædd. ad d. l. 24. n. 13. Merito igitur exploden-
di sunt insulsi Philolophi, & Alc. aliàs doctissimus.

Quæstio III.

*An divisio hereditatis in testamentariam & le-
gitimam sit perfecta, & sufficiens?*

Affirmamus his ex fundamentis: l. 1. 3. §. de il-
lo queritur, ff. pro soc. l. 1. ff. de petit. hered. l. 6. §. 1.
Quæ in fraud. cred. & l. obvenire 13. ff. de V. S. *II.* Quia
tantum duæ sunt causæ, ex quibus hereditas defer-
tur, nimirum testamentum, & lex §. fin. instit. per
quas pers. cuiq. acquir. Defertur quidem & testa-
mentaria ex lege, quia l. 12. tab. testamentarias here-
ditates confirmat, d. l. obvenire de V. S. his verbis:
Patertam. uti super pecuniâ tutelave rei suæ legasset,
ita ius esto, Vlp. in fragm. tit. 11. Nov. 22. §. 1. de leg.
Falc. V. Vel. ad rubr. tit. inst. de hered. quæ ab intest.
deter. ideo etiam interdum legitima dicitur, l. 130.
de

de V.S. non tamen immediatè, ut legitima, sed medi-
diatè per hominis nimirum testamentum, defertur;
unde etiam illa improprie, hæc proprie legitima di-
citur. V. Ves. ad d. rubr. Ex quo liquet, hereditatem pa-
ctis & stipulationibus neque dari, neque adimi posse.
Pacta enim & conventiones de futura hereditate &
successione nullius sunt momenti, cum adimant libe-
ram facultatem testandi, & inducant votum captan-
dæ mortis alterius, l. pactum, quod dotali, C. de pact.
l. 3. C. de collat. l. cum donationis in fin. C. de transact.
l. siquidem, §. illud etiam sancimus. C. de inoffic. test. l.
ult. ff. de suis & legit. & l. stipulatio hoc modo. ff. de
V. O. Borch. in tract. de gradib. pag. 150. & seqq. Vide
Zasium in tract. feud. p. 6. n. 19. 20. 21. & 22.

Quæstio IV.

*Queritur anxie inter nostros, unde testamentum
sit dictum?*

Nos simpliciter respondemus, testamentum di-
ctum esse iuris à testatione mentis, ut patet ex princ.
Inst. h. t. Iurisconsultis enim vocabulum testamenti du-
plex, iunctum, seu compositum est, ut Borch. ad d. pr.
annotat, & concinnè, rectèque ex testatione & mente
componitur, quod revera nihil aliud sit, quam mentis
testatio, ut ait V. Ves. in d. pr. n. 2. Quam nominis no-
tationem Gell. lib. 6. Noct. Attic. c. 12 & Laurent. Valla
lib. 6. Eleg. ling. lati. c. 36. valdè exagitant, sed immeri-
tò. Meminisse enim debuerant, Iurisconsultos in
nominum notationibus, non tam spectare verba,
quam rem ipsam, non tam derivationem, quæ Gram-
maticè ex verbis, quam eam, quæ iuridicè ex re ipsa
sumatur, ut docet Magnif. vir Dn. Nicol. Reusn. in
Tract. de iure testam. p. 1. c. 7. n. 17. Præceptor meus
perpetuò observandus, & Vult. ad tit. de testam. ordin.
pag. mihi 82. Semper enim student nomina rebus con-
gruentia facere, §. pen. Inst. de donat. ut apparet ex
aliorum nominum apud Iurisconsultos derivatione,
velut

veluti donatio dicta est à dono, quasi doni datio, l. 35.
§. donatio ff. de don. mort. ca. Et novatio à novo, & nova obligatione, l. 1. de Novat. damnatio ab ademptio-
ne, & quasi diminutione patrimonij, l. 3. de dam. in-
fect. & c. Et in hoc ipso Iurisconsulti imitantur Stoicos,
qui licentiores ac propemodum inepti in deducendis
nominum originibus fuerunt, ut inquit Cuiac. lib. 11.
obl. c. 37. & Borch. ad d. pr. h. t. Sic Cicero alibi, oppi-
dum, inquit, ut imiter ineptias Stoicorum, inde di-
ctum, quod opem daret.

Quaestio V.

*Uterius contenditur, an sub nominis testamenti
derivatione Imp. in pr. h. t. simul etiam de-
finitionem rei breviter complecti voluerit?*

Affirmantibus calculum adijcimus cum Vves. in
d. pr. n. 3. quod & Theophilo placet in d. pr. quod pro-
bari potest: I. Quia in d. pr. non simpliciter dici-
tur, quod testamentum appelletur ex testatione, &
mente, sed quod sit testatio mentis: Vocabulum au-
tem *SIT* non nominis tantum, sed potissimum rei
definitionem denotat: & saepenumero sub notatione
nominis vera continetur definitio rei, ut videre licet
prae reliquis in notatione Dialectices. II. Quia ve-
rissimile non est, Iustinianum in hac amplissima, pul-
cherrima, & utilissima materia Testamentaria voluisse
omittere testamenti definitionem; quod tamen Vult.
non veretur affirmare, & incusare Tribonianum, quasi
ipsum incuria sit omissa, quod neutiquam probamus,
cum id optime in d. princ. definierit. Quod III. loco
hinc apparet. Etsi enim variae sunt significationes vo-
cabuli *Testari*, ita, ut interdum significet vehementer
aliquid affirmare; interdum testibus adhibitis decla-
rare, & denunciare per l. curent, ff. de testib: tamen
proprie, & quidem hic pro subiecta materia per excel-
lentiam denotat testamentum facere, totumq; illum actum,
seu declarationem ultimae voluntatis coram testibus
solenn-

emigraate qle in hac tuta in dem. Par. O no totat p fia in m ror

solenniter factam, per l. 2. 4. in fin. 6. 11. & passim in tit. ff. qui testam. fac. poss. V Vel. in d. princ. n. 6. per l. 20. 6. Et veteres, d. r. ubi testamentum vocatur contestatio suprema. Dissent. Vultei ad tit. Instit. de ordin. test.

Quæstio VI.

Vtrum etiam testamentum rectè definiatur voluntatis nostræ iusta sententia?

Maximè. Ita enim Modestinus I Ctus illud finit in l. 1. ff. qui testam. fac. poss. cum quâ definitione convenit illa Vlpiani in fragm. tit. 20. ubi dicitur: testamentum est mentis nostræ iusta contestatio, in id solenniter facta, ut post mortem valeat. Per iustam enim sententiam in d. l. 1. intelligimus solennem, & integram, & secundum leges conformatam sententiam, propter d. tit. 20. & l. 4. ff. Qui test. fac. poss. Quæ interpretatio placet Viglio, Myns. Schneid. sub rubr. Quid sit testamentum. V Vel. in pr. n. 7. h. t. & Dn. Reusn. p. 1. c. 8. n. 1. & n. 24. Sed aliis displicet, quia si per iustam sententiam intelligimus solennem, ex illa definitione excluderetur Testamentum militis, quod fit sine solennitatibus iuris: Vnde etiam Viglius ad rubr. de testam. milit. n. 1. id disertè excludit; Et Connan. lib. 9. com. iur. civil. c. 1. iustum quidem illud esse dicit, sed non solenne, quia lege in eo nulla solennia requirantur. Propterea Vultei ad tit. Instit. de ordinand. testam. hanc interpretationem rejicit, & per iustam sententiam intelligit eam; quæ 1. est secundum æquitatem, 2. secundum leges. Verùm ignorandum non est, quòd etiam in testamento militari solennitas intervenire debeat, adeoque solenne dici possit, Ad solennitates enim non modò referuntur testes: sed etiam heredis institutio, l. 1. in fin. ff. de vulg. & ibi Gothofr. quæ etiam in militis testamento requiritur. Vnde etiam à Dd. testamentum militis non vocatur, non solennè, sed minus solenne.

Quæstio

Quæstio VII.

Hic etiam queri solet, an testamentum coactè factum, ipso iure sit nullum?

Affir. I. Quia testamentum definitur iusta nostræ voluntatis sententia in d. l. 1. Sed testamentum, quod coactè factum est, atque ad suggestionem alterius, nostra sententia dici nequit, cum sub sit Falsitas; sed potius eius esse videtur testamentum dicendum, qui testatorem ad testandum coëgit. II. Quia iste actus est iniustus, & illegitimus, cum per illum aliis, ad quos iustè hereditas alias pertineret, hereditas auferatur contra l. id quod nostrum, ff. de R. I. III. Quia in testamentis omninò requiritur voluntas liberrima, & spontanea, l. 1. C. de SS. EE. l. 12. in fin. ff. de leg. 1. IV. Quia testamentum non debet pendere ex alterius arbitrio, l. 32. l. 70. ff. de hered. instit. V. Vef. in *pac.* n. 8. h. t. V. Quia matrimonium metu contractum ipso iure nullum est, c. veniens, c. cum locum de spons. Erit igitur etiam testamentum, cum sit matrimonio favorabilius. Nec audiendi, qui dicunt in matrimonio maiorem requiri libertatem, quàm in testamento: id enim negamus. I. Quia matrimonium spe lucri contractum est validum, l. 71. in pr. ff. de condit. & demonstr. quod tamen secus est in testamentis, cum ab alterius arbitrio pendere non debeat, ut dictum. II. Matrimonium restringi potest ad certum genus personarum, quod secus est in testamentis, ubi requiritur plenissima libertas, d. l. 1. Ultimò, quia testamentum est nullum, si testes fuerunt coacti ad testificandum, & signandum, l. 20. §. fin. ff. h. t. Ergò multò magis irritum erit, si testator fuerit coactus. Et hæc sententia firmata est constit. Elect. 5. p. 3. ibi: *Durch welche er mit harten Worten/ oder vngestümen anhalten zu testiren gebracht worden.* Pauschman lib. 2, quæst. iur. controv. Q. 22.

B

Quæst.



Quæstio VIII.

*Non minus etiam dubitatur, an hoc casu cogenti,
ut indigno à fisco hereditas auferatur, an ad
successores ab intestato pertineat?*

Dicimus, eam pertinere ad successores legiti-
mos non ad fiscum. I. per l. pen. C. de leg. ubi si quis
fraudem committit, ut alteri noceat, tunc non appli-
catur fisco, sed illi personæ, contra quam fraus est com-
missa. Nemo enim alterius facto debet prægravari, l.
unic. C. ut null. ex vican. nec alteri per alterum iniqua
conditio inferri debet; & id, quod nostrum est, sine
facto nostro ad alium transferri non debeat, Quod fie-
ret, si fisco per fraudem locus foret ad exclusionem
terti. II. Quàm diu spes est testamentariæ successio-
ni, ab intestato locus esse nequit, l. 89. ff. de R. I. Ergò
si nullum testamentum adest, ut in nostro casu, quem-
admodum ex præced. thesi constat, proximi agnati
succedunt ab intestato. Novell. 118. c. 3. Denique licet
coactor se fecerit indignum hereditate; non tamen
statim concludendum est, fiscum succedere, l. 2. §. fra-
tris autem ff. si quis aliquem test. prohib. æquitas enim
requirit, ut fiscus saltem hoc auferat, quantum sibi abs-
que præiudicio tertii ob delictum licet. Restringitur
tamen hæc sententia, si cogens alioquin fuisset ab in-
testato proximior, adeoq; solus, etiamsi testamentum
nullū adfuisset, successisset, vel etiam in æquali cum ali-
is successionis gradu existeret; tum enim tota heredi-
tas, vel portio tantum cogentis fisco applicanda venit,
l. si scriptis 19. ff. de his, quæ, ut indigni. l. 1. in pr. l. 2. §.
fratris. ff. si quis aliq. test. prohib. n. 1. & 2. C. eod.
V. Ves. d. t. si quis aliq. test. prohib. n. 1. & 2. Iul. Clar. lib. 5.
recept. sent. q. 79. vers. fin. & alij plurimi, quos refert &
sequitur Paulschm. d. q. 22. n. 20. & seqq.

Quæstio IX.

*Non etiam convenit inter Dd. an testamentum sit
iuris gentium, an verò iuris civilis?*

No

Nos item ita componimus, statuentes, testamen-
tum esse iuris gentium origine inspecta, iuris autem
civilis, quoad formam, nomina, & solennitates. Anti-
quissimis enim temporibus simplicissima, & liberrima
testandi ratio in usu habita fuit sine ullis solennitatibus
ut apparet ex l. 12. tab. quâ ita cautum fuit: *Vri quisq;
rei suæ legâssit, ita ius esto.* l. 120. de V. S. Cuius deinde le-
gis licentia & libertas naturalis multipliciter per le-
ges latas coangustata, & suis solennitatibus determi-
nata est, quarum legum catalogum solidè enumerat.
Dn. Reusn. d. p. 1. c. 5, n. 17. & seqq. ubi idem nobiscum
sentit, sicut etiam Vves. in *cap. n. 8.* h. t. Dissentit Por-
cius in §. sed prædicta h. t. docens, testamentum etiam
quoad originem esse iuris civilis & positivi: Item Val-
quius lib. 1. de success. §. 1. n. 5. & 9. statuens testamen-
tum origine esse iuris civilis, sed approbatione iuris
gentium, quemadmodum Emphyteusis, quorum sen-
tentia meritò reprobanda.

Quæstio X.

*Sic etiam disceptatur, an testamenti factio sit iuris
publici, an privati?*

Concludimus, eam non privati, sed publici iu-
ris esse per expressum textum, l. 3. h. t. Ius enim faciendi
testamenti non nisi iure publico, & à legibus tribui-
tur, non autem voluntate privatorum, ut d. l. 3. inter-
pretatur Cuiac. ad d. l. 3. Hinc etiam pater, ut maximè
velit, non potest filio concedere testamenti factionem
l. 6. ff. Qui test. fac. poss. & princ. inst. Quibus non est
perm. fac. test. cum ius publicum requiratur, ut is, qui te-
statur, sit liber & paterfamiliâs. Dissentit Iacob. Ræ-
vard. lib. 5. var. resol. c. 12. maximè hanc ob causam,
quia putat Tribonianum deceptum fuisse, in d. l. 3.
abbreviaturis, seu notis. Ibi enim ita scriptum fu-
isse antumat: *Testamenti factio N. P. sed P. I. est.*
Cum itaque debuisset sic vertere: *Testamenti fa-
ctio non publici, sed privati iuris est;* ipse sic ver-
tit: *Testamenti factio non privati, sed publici iuris est.*

Ius enim publicum nihil aliud est, quam quod ad
statum Reipublicæ Romanæ spectat. §. ult. inst. de
iust. & iur. l. 1. §. 1. ff. eo. Sed testamenti factio uti-
litate singulorum spectat, ut ius privatum. Sed
hïc responsio est facilis. Publicum enim in iure no-
stro dupliciter dicitur: I. Vocatur publicum, quòd
statum Reipub. Rom. spectat. II. Quòd quidem sin-
gulorum utilitatem concernit; à iure tamen publico
ita dependet, ne fit in potestate privatorum, nisi ipsis
à legibus sit concessum, quomodo testamentum pu-
blicum dicitur in d. l. 3.

Quæstio XI.

*An testamentum rectè dividatur in iustum &
iniustum?*

Concedimus I. propter l. Tabularum 2. & §. 1. ff. de
test. quemadmodum aper. II. Quia iniusti testamenti
sæpenumerò in iure fit mentio, ut in tot. tit. de iniusto,
rupt. & irrit. & alibi passim. III. Quia etiam iniustum
testamentum est testamentum, quemadmodum iniusta
uxor est uxor, l. si uxor. 13. ff. ad l. Iul. de adult. licet il-
lud non iustum sit testamentum, & hæc non iusta uxor.
Vult. ad tit. inst. de test. ordin. pag. mihi 86. IV. Quia
vitium in iniusto testamento non incurrit in intrinse-
cam testamenti solennitatem, sed in cætera, quæ ex-
trinsecus ad ordinanda testamenta desiderantur l. inter
30. ff. de liber. & posth. Est enim in quo solennitates à
legibus requisitæ non sunt observatæ l. 1. in princ. de in-
iust. irrit. V. Vel. ad rubr. n. 2. Quibus mod. test. infirm.
non tamen caret institutione. Itaque non est propriè
iniustum, hoc est, pugnans cum iure solenni testa-
mentorum; quanquam abusivè iniustum quoque dica-
tur, l. 3. §. 2. ff. Quibus mod. test. infirm. V. Vel. in d.
rubr. Solennitates enim illæ extrinsecæ non sunt de
substantia testamenti in genere considerati, cum non
requirantur in omnibus testamenti speciebus, ut in te-
stamento ad pias causas, militis, rusticano, inter libe-
ros &c.

ros, &c. Denique quia hodiè & peregrinorum testa-
mentum à Friderico II. confirmatum est, §. omnes
peregrini Auth. de statu & consuet. & Auth. omnes C.
com. de success. Nec nos avocare ab hac sententia de-
bet, quod Modestinus in d. l. i. dicit, testamenta esse
iustam sententiam : ibi enim tantum speciem testa-
menti, nempe testamentum iustum, non autem ge-
nus, definivit : qui non de omni testamento, sed de iu-
sto duntaxat dicturus erat, quale tantum à civibus Ro-
manis condebatur. Vult, ad d. tit. de ordin. test. pag. 86.

Quæstio XII.

*An filiusfam. possit testari de bonis adventitijs,
quorum ususfructus ad patrem non pertinet?*

Et hinc in eorum secedimus castra, qui affirmant.
I. Qui enim alieno iuri subiecti sunt, testamenti faci-
endi ius non habent, nisi in casibus ipsis iure publico
concessis, & legibus permisis, ut est in princ. Inst. Qui-
bus non est perm. fac. testam. At lex filiisfam. tan-
tum concessit, ut de Castrensibus, & quasi Castrensi-
bus testari possent, d. princ. §. fin. de testam. milit. l. fin.
C. de inoffic. test. De aliis igitur nequaquam poterit
disponere. Hinc etiam præter alios filiosfamiliâs, qui
castrense peculium, vel quasi castrense habent, si quis
alius testamentum fecerit, inutile est, d. princ. II. Quia
l. 12. tab. dicit. Paterfamiliâs uti super familia, pecu-
niaque sua legasset, ita ius esto. Ius ergò testandi non
nisi patribusfam, à legibus concessum est. Denique
hanc sententiam manifestò confirmat. l. pen. C. qui te-
stam. fac. poss. ubi expressè dicitur, quòd filiisfam. ne de
iis quidem bonis testamentum facere possint, quæ pa-
rentibus acquiri non possunt. Et hæc sententia com-
munis est, quam amplectitur, Schneid. tit. Quibus non
est perm. fac. test. n. 11. Vigl. Myns. & Vult. ibid. & Du-
ar. ibid. cum Don. lib. 6. com. c. 5. Dissentit. Vaud. lib. 1.
variar. resol. q. 1. cui nihil patrocinator Nov. 117. c. 1. §.
1. nec enim loquitur de dispositione testamentaria,

sed administratoria, quod evincit. I. ipse textus græcus, qui non habet διατεθεις, quæ vox ad testamentum refertur, sed διοικειν, quod administrare significat. II. Demonstrant idem illa verba: *Si verò ætate minores sint, per quem perspexerit testator, aut donator, hæc gubernentur.* Quæ verba non sunt nisi agentium inter vivos, ut præsertim apparet ex verbo: *Gubernentur*, ut d. Nov. explicat & exaudit Don. d. lib. 6. c. 5. & VVes. in §. 1. inst. Quibus non est perm. fac. test. n. 2. & 3. ubi eodem modo intelligit l. ult. §. filiis C. de bon. quæ liber. Sed ex illa pleriq; argumentantur à contrario sensu; quod argumentum non valere, si leges sint in contrarium, manifestum est. Vult. ad d. tit. 156. pag. Huic autem opinioni contradicit d. l. penult.

Quæstio XIII.

Vtrum filius familiæ permittente patre de bonis adventitijs, in quibus patri iuris in testamento ad pias causas verè testari possit?

Aff: ut sentiunt. VVes. in princ. inst. ad h. t. n. 7. & ibid. Schn. n. 11. in fin. Bart. & Bald. in l. 1. C. de SS. EE. & pluribus, Tiraq. 17. privil. piæ causæ. Quia testamentum ad pias causas est res spiritualis, quæ iuris civilis dispositioni subiectum non est, c. relatum 11. in verbis: non secundum leges extra de testam. c. licet de sepult. in 6. quâ constitutione derogatur iuri civili, quia permittit iudicare, id est, testari pro anima, si consentiat pater, ut eam allegat VVes. in d. pr. n. 7. & Duar. sub tit. qui test. fac. post. Dissentit Valquius de success. lib. 3. §. 22. n. 8. ubi putat d. c. licet tantum loqui de donatione causa mortis: filius autem familiæ causa mortis extra testamentum, & ab intestato donare potest, ut docet Borch. ad princ. inst. Quibus non est perm. fac. test. Sed illud cap. licet non posse accipi de donatione causa mortis, innuunt illa verba: *Nisi peculium castrense aut quasi habeat*: Hæc enim non donari tantum, sed & testamento relinqui possunt. Loquitur igitur etiam de

te-

testamento, præsertim cum Pontifex utatur verbo: *Indicare*, quod non donare, sed testari significat. c. 1. in princ. de prohib. feud. alien. der Frideric. 1. & § donare. Qual. feud. ol.

Quæstio XIV.

An filius familiæ maritus testari possit de bonis adventitijs, in quibus patri nihil iuris?

Nos verius putamus, nedum quidem filiosfam. vel filiasfam. testamenti factionem iure esse concessam. Nam ob patriam potestatem ipsis interdictum est testamentum facere, ut patet ex d. pr. inst. Quib. non est perm. fac. testa. Sed hæc non extinguitur per nuptias filiosfam. aut filiasfam. cum nuptiæ nunquam in iure nostro referantur inter modos, quibus patria potestas solvitur l. viduæ 18. C. de nupt. l. 5. C. de condit. insert. Durante igitur causa prohibitionis, durabit etiam ipsa prohibitio, & ita communiter sentiunt Dd. & Thesaurus decis. 150. ubi sub n. 8. testatur, Senatim Pedamontanum eiusmodi testamentum invalidum pronunciasse & monstrat Dn. Nicol. Reusn. p. 2 c. 23. n. 24. & seqq. in tract. de iur. testam. Nec hoc etiam iure Saxon. immutatum est, quia nec illo per nuptias filius, aut filia exit patriam potestatem, quamvis nonnulli contra sentiant præsertim quando separatim à patre liberis habitare conceditur per art. 11. & 13. lib. 1. Landr. ubi Zobel & ad art. 45. lib. 3. 1. Constat enim, quod separatio ista liberorum à mensa & domo patris etiam in foro Sax. non habeatur pro vera emancipatione, nisi facta sit coram iudice competente per art. 19. Landr. lib. 2. Reinhard. differ. 31. p. 6. 2. Quia separatio ista tantum hoc operatur, ne pater retineat usumfructum in bonis adventitijs filiosfam. præsertim mariti, & seorsim iam habitantis: In cæteris autem omnibus durat patria potestas per d. art. 11. & 13. ubi gl. n. 20. Nec obstant d. art. 11. & 13. non enim loquuntur de emancipatione liberorum, sed tantum de separatione bonorum, ut docet Dn. Reusn. d. p. 2. c. 23. n. 26. in fin.

Quæstio

Quæstio XV.

*Numne uxor materfamilias de suis bonis testari
queat?*

Annuius. I. Quia mortis causa donare potest etiam sine presentia, & consensu mariti, l. velleso. ubi Bald. C. de revoc. donat. VVel. in *me*. n. 13. h. t. fol. 619. lit. B. II. Quia l. i. C. de SS. EE. indistinctè dicit, quòd hominibus debeat esse liber stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium: Sub vocabulo autem *Hominis* contineri etiam fœminam, plus quàm manifestum est, ut satis docuerunt etiam Dd. ad l. i. ff. de V. S. III. Idem manifestè probat l. 5. ff. Qui test. fac. poss. IV. Huc optimè facit constit. Elect. 15. p. 2. Tandem licet citrà mariti consensum alienare & contrahere uxor nequeat secundum art. 31. lib. 1. testamentum tamen facere non prohibetur, cum d. art. 31. non sit extendendus ad ultimam voluntatem, l. 20. ff. de V. S. cùm tantùm loquatur de actibus inter vivos, ut patet ex vocabulo, *Bergeben*. VVel. d. pag. 619.

Quæstio XVI.

An damnati ad mortem iure civili testari valeant?

Quemadmodum olim non potuerunt; ita etiam num non posse putamus. I. Quia ius testandi non competit, nisi statum habentibus, hoc est, civibus Romanis & liberis hominibus: Est enim iuris publici l. 3. h. t. At damnati ad mortem statim amittunt omnem civitatem & libertatem, & fiunt servi pœnæ, hoc est, sui supplicii, cui in perpetuum addicti manent l. qui ultimo 29. l. quod statum, 12. l. 23. l. 34. ff. de pœn. l. 1. & 10. C. de pœn. l. 8. C. de sent. pass. Et quamvis hodiè damnati ad mortem non amittant libertatem, Nov. 22. §. deportati, & Auth. sed hodiè C. de donat. inter vir. & uxor. amittunt tamen civitatem, cùm id nullibi reperitur correctum, l. præcipimus, C. de appellat. II. Quia

Quia damnati non habent bona, de quibus testari possunt. Olim enim eorum bona indistinctè fisco applicabantur. l. 2. 4. 6. & tot. tit. C. de bon. damn. hodie tum demum, si neque liberi, neque parentes extant; quibus, si extant, bona eorum per leges adiudicantur, quo ipso simul damnatis liberam testandi facultatem adiungunt. Auth. bona damnatorum, C. de bon. dam. & Nov. 19. c. 12. Don. lib. 6. c. 16. pag. 42. circa fin. Contrarium multi sentiunt, quarum sententia probata est per constitut. Elect. 6. p. 3. ubi dicitur: *Das die jenigen / so auch gleich in Todes straff verdammet vnd verurtheilet / ihrer Güter halben / vnd von al. em deme / so sie nach ihrem Tode verlassen werden / Testament machen / vnd in ander wege durch beständige letzte Willen kräftige Verordnung vffrichten mögen / jedoch wollen wir damit nicht gemeynet / sondern aufgeschlossen haben / wann die Uebelhäter nicht allein zum Tode / sondern auch in confiscation aller ihrer Güter / verdammet werden.*

Quæstio XVII.

An damnatorum ad pias causas testamentum valeat, controversi iuris est?

Nos affirmamus, ducentes I. argumentum à militia ad pias causas, quod in iure validum. Bart. & alii in l. 1. C. de SS. EE. Rigor enim iuris civilis remissus est in testamento militis damnati ad mortem. l. 6. §. 6. de in iust. & irr. fac. Cur igitur non etiam in testamento ad pias causas, cum utrumque non iuris civilis, sed gentium censeatur, c. cum esses, & c. reiatum extra testam. II. Quia testamentum ad pias causas concernit res spirituales, in quibus ius civile, non a deo attenditur, & ita cum aliis tenet Dn. Reusn. d. p. 2. c. 38. n. 5.

Quæstio XVIII.

An quis etiam testari possit de rebus alienis? N.

I. Per l. conficiuntur §. si post. ff. de iur. Codicill. l. cum pater 77. §. mando ff. de leg. 2. II. Quia hereditas ius est l. 24. de V. S. & l. 62. de R. I. Iam nemo plus iuris in alium, videlicet heredem institutum transferre

C

ferre potest, quam ipse habet, l. nemo 55. ff. de R. I. Nihil autem iuris testator habet in re aliena, ut patet. Denique si testator aliquem heredem instituere posset in re aliena, videretur alii, nempe donatio ipsius rei alienae, testamentum condere posse: Atqui nemo alteri testamentum recte facit, praeterquam pater filio suo impuberi, ut est in tit. de pupill. substituit. V. Vel. in *traq.* n. 9. ff. Qui test. fac. poss.

Quaestio XIX.

An numerus septem testium sit de essentia testamenti?

Negantibus subscribimus, ponentes numerum septem testium in omni testamento sive scriptum sit, sive nuncupativum, tantum probationis causa requiri & adhiberi, Per l. 12. vers. non ad iuris solennitatem, C. de testam. l. fin. v. lex etenim C. de fideicom. II. Quia secundum ius naturale tota substantia testamenti consistit in suprema hominis voluntate, l. 1. C. de SS. EE. Barr. in l. Aristo. 46. ff. man. testam. quorum sequitur Rom. sing. 55. & 79. & Tiraq. in tract. de priv. pia causa priv. 50. III. Quia ubicunque requiruntur testes, id tantum fit probationis ergo, ne insidiis & fraudibus locus relinquatur, l. curent ff. de test. Denique quia si testes essent de substantia essentiali testamenti, nunquam sine 7. testibus valeret; nec numerus septenarius vel lege, vel statuto, aut consuetudine minui, & coarctari posset; quod tamen fieri posse nullus dubito. Gail. 2. obs. 123. Vult. ad tit. de ordin. testam. pag. 119. Dissentit Treutl. vol. 2. disput. 10. th. 5.

Quaestio XX.

An in testamento tempore pestis facto etiam requirantur septem testes: an pauciores sufficiant?

Prius asserimus. I. propter l. 8. C. de testam. ubi non numerus testium remittitur, sed conventio, seu congregatio testium, si alter ad alterum propter contagio-

tagionem accedere nolit. II. Quia polluti peste sibi imputare debent, quod non sani, & in sano loco testati fuerint: quippe cum peste imminente potuerint verisimiliter cogitare, se peste grassante tantum numerum testium non facile inventurum, arg. d.l. si quis donum. §. his subiunge. ff. loca. III. Quin plures specialitates non debent concurrere in eodem subiecto; quod fieret, si quis nec convocatis, nec etiam omnibus, qui in iure requiruntur, testibus, testari posset, contra d. l. 8. ubi tantum congregatio remittitur, quæ remissio ad alia non extendenda. Huic tamen legali sententiæ derogatum est hodiè per Constit. Elect. 4. p. 3. ubi expressè dicitur, quod testamentum tempore pestis coram duobus, vel tribus testibus factum valeat, ut aliàs etiam communiter sentiunt Dd. ut Bart. in l. naturaliter ff. de usufructu. Myns. cent. 1. obs. 96. ubi dicit, ita in Camera esse pronunciatum. Gail. 2. obs. 118. n. 18. cum ibi allegatis VVel. in *cap.* n. 10. ff. qui testam. fac. poss. Schneid. ad tit. de ordin. test. sub rubr. de solenni testamento, n. 16. Vultei. ad d. t. pag. mihi 120. Et ita hinc pronunciarì, apparet ex illustri quæstione 20. Magn. viri Dn. Virgilii Pingizeti Præcept. mei plurimum colendi.

Quæstio XXI.

An testes etiam alio signo, quam annullo χαρακτινα habente signare possint?

Negamus per l. 22. §. 5. ff. Qui test. fac. Et hanc esse mentem d. §. 5. apparet ex his: I. Quia dubitatum fuit, an annulo, an verò etiam alio signo testes signare possent; & Vlp. hanc litem dirimit, statuens tantum annulo χαρακτινα habente, testamentum signari posse, Quæ verba sunt exclusiva. Licet autem nonnulli ibi legant Negativè, ut Hottom. ad §. 2. en. 5. h. t. Et lib. 1. obs. 20. Et VVel. ad §. 3. lit. R. eod. tamen correctio illa periculosa est, cum legem corrigere non sit interpretis, sed legum conditoris, ut propterea merito correctio illa sit à Cuiac. lib. 14. c. 11. & à Robert. 1. recep.

recept. lect. c. 21. sit reprobata, cum quibus consentit
Dn. Fom. in disp. inst. 14. th. 5. lit. E. in not. II. Quia
in d. §. 5. dicitur, quod variè homines signent, ut igitur
varietas illa, quæ incertitudinem parit, à testamen-
to absit, ut abesse debet, statuit Vlpianus, tantùm an-
nulo fieri posse obsignationem testamenti.

Questio XXII.

*Possunt nè etiamnum hodiè milites sine ulla solenni-
tate & ullis testibus testari?*

Negent alii, nos negantibus repugnabimus. I.
Per princ. in l. de milit. testam. & tot. tit. ff. de test. milit.
II. Quia testamentum militis est iuris gentium, l. 13.
§. 2. ff. de milit. test. Hoc autem iure in testamentis non
requiruntur testes arg. §. sed cum paulatim inst. de or-
din. testam. & d. pr. Tandem quia adhuc militant ratio-
nes, propter quas olim Romani milites fuerunt liberi à
stricta iuris civilis testandi ratione, nimirum, imperi-
ria, & periculum. Itaque neque nostris militi-
bus ius illud erit adimendum.

Πάρεργον Feudale.

*Feuda neq; ab exordio mundi, & pri-
mâ monarchiâ: neq; à Gallorum soldurijs: neq; à ve-
terum Romanorum clientelis, militijs, hominibus, fun-
dis limitaneis, aut pradijs stipendiarijs extiterunt; sed
à Longobardis suam ducunt originem, ut docent Andr.
de Isern: auriga Feudistarum in prælud: Feud: n. 41.
Ias: in præl: feud. n. 1. Iul: Clar: lib. 4. recept: sent: §.
feudum §. 1. Duar: c. 3. de feud: Donell: lib. 1. commen-
tar: c. 11. v. 30. pag. 26. VVes: in præm: feud: & c. 3. Goe-
d: disp. feud. 1. th. 5. Fach. lib: 7. controu: c. 7. & Co-
ler: In oratione de process: & utilit: Iuris Sax: statim
post princ.*

F I N I S.

01 A 6518


ULB Halle 3
002 937 514



VD 17

Ulso ✓





B.I.G.

Farbkarte #13

XXX.

DISPUTATIO IURIDICA
De
TESTAMENTA-
RIA HEREDITATE CER-
TIS QVIBVSDAM QVAESTIO-
NIBUS EXPLICATA:
Quam
C. D. & A. C.
*Permissu & autoritate Nobiliss. atq. Ampliss.
Facultatis Iuridicae in inclytâ Ienen-
sum Academia,*
SUB PRAESIDIO
Clarissimi & Doctissimi Viri
DN. IACOBI CRAMERI
I. V. CANDID.
Ventilandam proponit
IOHANNES MULLER
CIZENSIS.
Ad diem 19. Augusti: hora & loco consuetis.
J E N A
Ex Calcographéo Tobiaë Steinmanni,
Anno c1o 1o c111.

